



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Clara Et Praeclara Methodus Parandæ Eloquentiæ,
Secundùm Doctrinam & Præcepta Cypriani Soarii è
Societate Jesu, Ad Captum Et Praxim Faciliorem
Accommodata**

Worpitz, Georg

Coloniæ Agrippinæ, 1700

Caput 25 [i. e. 24]. De Generibus figurarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68908](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68908)

CAPUT XXIV.

De Generibus figurarum.

In qualibet oratione, seu constructione est reperire duo 1. *verba* seu *voces*. 2. *sensum*, & *significationem* vocum. Unde duplex est figurarum genus, unum quod exornationem affert *vi verborum*, & vocatur *figura verborum*, seu dictionum; alterum, quod exornationem addit *vi sensus*, & *significationis*; & dicitur *figura sensus*, seu *sententia*: nam, quod hic notandum imperitis; sententia non accipitur hic pro gnoma aliqua, seu dicto, veritatem aliquam ad mores continente, cujusmodi est illud: *veritas odium parit; sequitur superbos ultor à tergo Deus. stultitia proprium est, aliorum vitia cernere, oblivisci suorum* &c. Sed pro eo, quod animi nostri sensum, mentem, & sententiam exprimit. Quod autem inter se differant, figura verborum, & sententiarum, patet ex eo, quod figura verborum tollatur, & destruat, si verba mutantur in alia synonyma, aut affinia in significatione: at verò figura sententiarum manet mutatis etiam verbis; eò quod idem sensus animi exprimitur. Ut probat Auctor in exemplo. Sæpius tamen coincidere possunt, quemadmodum diversi tropi, ita tropus, & figura, in eundem locum. Porro quotnam sint figurae verborum, quot sententia-

324 *De Exornatione Argumentat.*
tiarum, difficile est statuere inter tam dif-
crepantes authorum opiniones, quorum ali-
qui aliquas recipiunt, quas alii rejiciunt, ut
legenti authores patebit, quasque aliqui figu-
ram sententiarum faciunt, alii ad verborum
figuram remittunt. Id ipsum in nominibus
figurarum quis reperiet, ut propè verum
sit, quot capita, tot sententiæ. Quare nil me-
liùs author facere potuit, quàm sequi *consen-
sum gravissimorum scriptorum*, quales sunt
Aristoteles, Cicero, & Quintillianus, quorum
authoritati potissimùm innititur, ut te fron-
tispicium libri docebit. Quare temerè me
facturum putarem, si hac in re à doctrina
ejus recederem, explodendo aliquas, aut in
unum confundendo non assignatâ distin-
ctione, ac differentiâ, quæ difficilis non erit,
de plerisque saltem loquendo, si quis
earum definitionem & exemplis
fuerit perscrutatus.

